



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus VII. De eo, qui duxit uxorem, quam polluit per adulterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

nium contrahendum. Ut constat ex plurimis Jutis can. textibus. Item ex Trident. *Seff. 24. c. 9.* aliisque Conciliis & SS. PP. quæ & quos magno numero citatos vide apud Laym. *l. c. n. 1.* Sed neque de hoc ulla est controversia inter Catholicos, ut bene Castrop. *l. c. p. 6. n. 2.* Porro votum hoc religionis dirimere matrimonium contrahendum jure naturæ; eò quòd res untradita non potest tradi alteri; adeoque nec religiosus, qui se tradidit religioni, non possit se tradere conjugii. Docent Covar. *2. p. desponsal. c. 7. §. 4.* Sotus *l. c. q. 2. a. 5.* Pet. de Soto. *lect. 5. de matrim. sub finem &c.* E contra hanc vim dicto voto (uti & emissio in susceptione Ordinis sacri) inesse solo jure Ecclesiastico, docent cum communi Sanch. *L. 7. d. 26. à nu. 2.* Ponc. *L. 7. c. 22. n. 4.* Gasp. Hurt. *d. 15. diff. unic.* Castrop. *n. 4.* Laym. *l. c. n. 1.* ubi placuit Ecclesiæ, eos qui vitæ perfectioris statu suscepto, stabili se obligatione Deo & Ecclesiæ consecrant, inhabiles efficere ad statum matrimonii religionis istiusmodi obligationi valde repugnantem. Ratio responsionis à priori redditur à Castrop. Quòd licet religiosus tali voto tradat se religioni, & tamen traditio solùm sit ad hoc, ut à religione gubernetur & dirigatur ad propriæ perfectionis consecutionem juxta regulas religionis, cui fini non obstat conjugium seculo ejus usu, ut constat exemplo plurium conjugatorum, qui validè, licentia conjugis, vel factò divortio religionem professi sunt non soluto vinculo. Unde à posteriore patet, nec professionem ex se dirimere matrimonium, neque conjugium professionem. Cur autem potius Ecclesiæ annexu erit vim illam dirimendi matrimonium ratum, quàm susceptioni SS. Ordinum, hanc rationem dat Laym. quòd per professionem censeatur fieri perfectissima sui ipsius traditio, & reciproca obligatio religionis cum retinendi, adeoque sit

mors quædam spiritualis, & alterum quoddam matrimonium spirituale, cui meritò prius matrimonium secundum carnem inritum cedere debeat, cujusmodi perfecta traditio sui ipsius non reperitur in susceptione ordinum.

2. Resp. ad secundum: Votum solenne castitatis ex constitutione Ecclesiæ sacro ordini annexum, et si non ditimat matrimonium ratum, dirimit tamen contrahendum. Trid. *24. c. 9. c. unic. de voto in 6.* & ita tradunt D. Thom. *in 4. d. 37. q. unic. a. 1.* Laym. *l. c. n. 3.* Sanch. *L. 7. d. 28. n. 3.* Azor. *tom. 1. L. 13. c. 12. q. 5.* qui duo etiam testantur, in orientalibus quoque Ecclesiis observatum fuisse, ut matrimonia Sacerdotum, non tantum prohibita, sed & irrita censerentur. Castrop. etiam *l. c. n. 5.* dicens esse fide certum, Ordinem sacrum vel ratione sui, vel ratione voti ei annexi matrimonium contrahendum dirimere. Porro sacros Ordines habere hanc vim dirimendi matrimonium contrahendum ex jure positivo divino putant aliqui, alii ex jure naturali. Verum rectius dicunt Sanch. *l. c. n. 24.* Gutt. *c. 94. n. 10.* Vasq. *Tom. 3. in 3. part. d. 249. c. 2.* Ponc. *L. 7. c. 27. num. 5.* Castrop. *p. 6. num. 5.* habere eam à solo jure Ecclesiastico; cum neque ex Scriptura, neque ex Conciliis colligi possit, hanc ordini à Christo inditam vim, cum ordine autem optimè compati possit conjugium, adeoque eam non habeat à natura rei.

De cætero an & qualiter matrimonium solvatur quòd ad thorum & cohabitationem per vota solennia emissam in propositione religiosa vel susceptione Ordinum Sacrorum dicitur infra *Tit. 19. de divortis.* Qualiter per eadem solvantur sponsalia de futuro, dictum est supra *quæst. 56.*

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.

Quæst. 182. Quotuplex sit crimen, ex quo oritur impedimentum dirimens matrimonium.

1. **R** Esp. Duplex, seu duo sunt crimina, in quorum pœnam Ecclesia reos reddit inhabiles ad contrahendum matrimonium, non quidem cum quacunque persona, sed ea tantum, cum qua deliquit. Primum est adulterium cum promissione seu conventionione de matrimonio post mortem conjugis contrahendo inter adulteros, vel etiam unà cum contracto de facto seu attentativè (ipsa enim matrimonium esse non potest, cum quis duas uxores simul habere non possit) inter eos matrimonio; tunc enim matrimonium etiam legitimi conjugis contractum cum adultero vel adultera est ipso jure nullum, pro ut hæc constat ex *c. fin. h. t. & c. relatum. 31. q. 1.* Unde patet primò, contrahi hoc impedimentum, etsi nihil intervenerit machinationis in vitam alterius conjugis; sed sufficere unà cum data fide matrimonii vel de præsentè vel futuro, uti constat

ex *c. propositum. & c. significasti. h. t.* aliisque textibus, ubi requiritur ad illud impedimentum incurridum adulterium unà cum dicta fide data, vel cum machinatione mortis sub disjunctione. Patet secundò: nequaquam sufficere solum adulterium, ut pariter constat ex iisdem textibus. Quibus non obstat, quòd in pluribus Canonibus relatis *caus. 31. q. 1.* absolute & sine addito statuatur, ut nullus ducat in uxorem, quam prius polluit adulterio; quia subintelligendum: Si vivente viro fidem adulteræ dederit, se ducturum eam viro ejus defuncto in uxorem, vel si mortem viri machinatus fuerit. *Canif. ad h. t. num. 7.* Pirh. *num. 4.* cum Gratian. *in c. illud verò. 31. q. 1.* Neque etiam, dum dicitur *c. 1. h. t. nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio*, maximè cui fidem dederat uxore sua vivente, aut quæ machinata est in mortem uxoris: innuitur, quòd etiam extra hos casus machinatæ mortis, vel datæ fidei sit invalidum matrimonium cum adultera, etsi præcipuè in illis casibus sit invalidum. Nam Abb. & alii DD. rò maximè exponunt pro tantum, vel duntaxat.

Ita

ita ut sensus sit; tunc tantum invalidum est prohibitum matrimonium inter adulterum & adulteram, quando una cum adulterio intervenit fides data de matrimonio, vel machinatio mortis; vel etiam, ut exponunt Castrop. *d. 4. p. 12. n. 2.* Gutt. *c. 105. n. 2.* Cöninck. & alii, intelligendum est demonstrativè & determinativè prius doctorum, ita ut sensus sit: *illam inquam prius pollutam, cui fidem dederat* &c. Patet tertio, è contra neque sufficere solum contractum, vel promissum matrimonium sine adulterio, quò minus quis post mortem uxoris suæ legitimæ cum ea, cui fidem dedit matrimonii de præsentè vel futuro contrahere possit matrimonium. *c. si quis. fin. h. t. Host. ibid. col. 2. v. cate- rism. Gl. ibid. v. cognovit eandem.* Pirh. *h. t. n. 13.* De cæterò perinde est sive adulterium præcedat sive subsequatur promissionem de contrahendo matrimonio, vel etiam illud attentativè seu de facto contractum; in utroque enim casu reperitur ansa capiendæ mortis conjugis, cujus evitatio est ratio movens Ecclesiam ad hoc impedimentum statuendum. Sanch. *l. 7. d. 79. n. 3.* Castrop. *l. c. Pirh. h. t. n. 1.* Alex. *ad c. fin. h. t. n. 4.* cum communi.

Alterum crimen est occisio seu machinatio mortis proprii vel alterius conjugis cum proposito contrahendi postmodum matrimonii, cum altero conjugesuperstite; Pirh. *n. 16.* vel ut Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1.* cum proposito alterius determinati matrimonii contrahendi; vel etiam ut Castrop. *n. 2.* est adulterium una cum occisione proprii vel alieni conjugis; pro ut diversæ sunt sententiæ circa plura requisita ad hoc, ut hoc impedimentum ex conjugicidio incuratur; de quibus in sequent. 99. habetur autem illud in *c. significavit. c. significasti. c. super eo. h. t. c. si quis vivente. 31. q. 1.*

Quæst. 183. Quale debeat esse adulterium, ut ex eo nascatur dictum impedimentum.

1. Resp. primò: In utroque casu, sive dum conjungitur cum machinatione mortis, sive tantum cum promissione matrimonii, debet imprimis esse verum adulterium; adeoque requiritur primò, ut sit perfectum seu consummatum per copulam, quæ aliàs consummatur matrimonium, nimirum habitam intra vas femineum cum seminatione. Gl. Abb. Card. *in c. fin. h. t. Sanch. l. 7. d. 79. à princ. Gutt. c. 105. n. 28.* Castrop. *l. c. n. 8.* Pirh. *h. t. n. 15.* Laym. *l. c. n. 4.* Secundo, ut matrimonium habentium inter se copulam sit validum; si enim revera tale non est, etsi putetur tale, promissio matrimonii facta complici, non dirimat matrimonium subsequens cum eo. Sanch. *n. 30.* Gutt. *n. 24.* Pirh. *n. 6.* & 10. Castrop. *l. c. juxta c. 2. h. t.* ubi, quòd matrimonium ex gravi metu initum, adeoque ipso jure irritum, nisi postmodum redditum validum per ratificationem expressam vel tacitam, nimirum per copulam spontaneam & affectu conjugali habitam, non dirimat matrimonium subsequens cum complice delicti; item juxta *c. veniens. h. t.* ubi quòd, licet vir jam habens uxorem mala fide contraxit & consummavit matrimonium, cum alia ignorante hunc virum esse conjugatum, possit post mortem primæ suæ uxoris cum hac secunda de novo contrahere matrimonium. Sufficit autem, quòd matrimonium illud prius fuerit ratum tantum, ut quoque dicitur *cit. c. 2.* aut etiam dissolutum quò ad thorum per divortium. Sanch. *n. 44.* Pirh. *n. 15. in fine.* Unde jam
R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. IV.

2. Resp. secundo: Non sufficit committi adulterium materiale, sed in utroque casu requiritur formale, nimirum, ut uterque adulterans sciat suum complicem esse conjugatum; aliàs enim non erit adulterium formaliter commissum ex parte utriusque, quòd requiritur hinc femina etiam conjugata, si copuletur viro, quem nescit esse conjugatum, animo & promissione cum eo ineundi matrimonium, non impeditur mortuo suo illiusque conjugate cum eo contrahere matrimonium; & ratio est; quia in eo casu ignorati conjugii non potest esse machinatio mortis, saltem ex parte utriusque. Ita Sanch. *d. 79. n. 31.* Gutt. *l. c. n. 15.* & 14. Castrop. Laym. *l. c. Pirh. n. 14.* juxta *c. 1. & penult. h. t.* Porro ab hoc impedimentum incurriendo excusare quamlibet conjugii ignorantiam, & jam crassam & supinam, tenent Sanch. *n. 28.* Rebell. *l. 3. q. 8.* Pirh. *n. 3.* eò quòd sit ignorantia, non juris, sed facti; in facto autem excuset qualibet ignorantia; *c. ignorantia. de reg. jur. in 6.* quin & ad adulterium requiritur dolus, juxta *l. penult. ff. in leg. Jul. de adul.* dolus autem consistere nequeat, cum ignorantia. Verum tamen contrarium, nempe solam ignorantiam probabilem, quippe quæ sola excuset à culpa adulterii, excusare ab hoc impedimento, tenet Castrop. *cit. n. 8.* citatis Nav. *c. 22. n. 46.* Valent. *Tom. 4. d. 10. q. 5. p. 3.* Cöninck. *d. 31. du. 5. n. 61.* Gasp. Hurt. *d. 23. diff. 2. n. 7.* ad *cit. l. penult.* dicunt, adulterium non reputari stante ignorantia quacunque ad incurrendas penas in ea lege statutas, quæ utpote gravissimæ merito exigant adulterium dolo malo commissum; dictum vero impedimentum non tam statutum in penam adulterii, quàm pro removenda occasione infidiandi vitæ conjugis.

Quæst. 184. An & qualiter adulterium & data fides adulteræ de matrimonio debeant concurrere durante eodem legitimo matrimonio.

Resp. Requiritur ad hoc impedimentum incurrendum, ut adulterium committatur, & vel matrimonium de præsentè attentetur, vel promittatur, durante eodem legitimo matrimonio; ita ut fides data matrimonii de præsentè vel futuro tempore prioris conjugii legitimi Titii cum Caja, adulterium verò commissum tempore alterius legitimi matrimonii posterioris ejusdem Titii cum Berta, possit adhuc adulter mortua hac secunda uxore, ducere adulteram; eò quòd per secundum illud matrimonium legitimum adulter recesserit à fide data adulteræ, spesque ineundi matrimonium cum adultero extincta sit per secundum illud matrimonium; adeoque etiam sublata occasio machinationis mortis uxoris legitimæ, Ita Laym. *l. c. num. 4.* Sanch. *cit. d. 79. num. 5.* Pirh. *num. 14.* Sylv. *v. matrimon. 8. q. 9. dicto 5.* Sotus *in 4. d. 37. q. unio. a. 4.* Pari modo, si è converso adulterium commissum sub priori matrimonio, & fides data sub secundo, non incurritur dictum impedimentum contrahendi cum adultera. Sanch. *num. 6.* Laym. Pirh. *l. c. Cöninck. cit. du. 5. num. 6.* cum jura ideo videantur requirere simultatem adulteris cum data illa fide sub eodem matrimonio, seu vivente eodem conjugate, ut eidem matrimonio irrogetur injuria præbita occasione occidendi eundem conjugem. De cæterò notat Kriper, *de matrim. n. 1007.* quòd si eodem matrimonio stante facta promissio matrimonii, & simul commissum adulterium,

terium, etsi dein etiam stante eodem matrimonio promissio utriusque consensu revocetur, adhuc in cursum impedimentum remanere; si verò stante eodem matrimonio promissio matrimonii facta concorditer revocetur ante commissum adulterium, quamvis adhuc sequatur adulterium, non incurri impedimentum.

Quest. 185. An ad hoc, ut incurratur dictum impedimentum, sufficiat contrahi attentativè matrimonium clandestinè.

Resp. Affirmativè, Sanch. *cit. d. 79. n. 8.* Cöninck. *l. c. n. 65. in fine.* Castrop. *n. 9.* contra Hurt. *l. c. n. 8.* & alios censentes restringendum hoc impedimentum, utpote pœnam ad matrimonium de cetero validum. Ratio responsionis est, quòd jura statuentia hoc impedimentum solum ponderent matrimonii attentationem, cum sciant necessariò invalidum vel ex eo, quòd legitimo conjugate vivente contrahatur. Sic quoque sufficere, ait Castrop. si adulter attentet matrimonium cum adultera, quæ est illius consanguinea; cum & hic contractus, etsi sponsalia non constituat, præbeat tamen sufficientem ansam machinandi mortem conjugis.

Quest. 186. Qualis debeat esse promissio de matrimonio contrahendo cum adultera, ut incurratur dictum impedimentum.

1. **R**esp. primò: Promissionem debere esse veram, nimirum factam animo se obligandi implendique promissum, & non fictam, docent Henriq. *l. 12. c. 14. num. 3.* Sa v. *matrim. ubi de imped. num. 7.* Hurt. *l. c. num. 9.* quam sententiam probabilem censent Laym. *l. c.* Pirh. *n. 14.* eò quòd ficta promissio non sit promissio, & verba in pœnalibus sint accipienda propriè. Confirmant iidem AA. id à simili: irregularitas est statuta rebaptizantibus, & excommunicatio proferentibus hæresin; neque tamen has pœnas incurrunnt, qui fictè rebaptizant, qui proferunt hæresin non ex animo. Nihilominus probabilius contrarium tenent; Sanch. *num. 10.* Gutt. *n. 28.* Cöninck. *num. 57.* Castrop. *num. 11.* eò quòd ex promissione ficta, cujus fictio non cognoscitur, æquè nascatur occasio occidendi conjugem, ad quam tollendam jura statuunt hoc impedimentum, quam ex promissione vera ac seria.

2. **R**esp. secundò: Promissio illa debet esse externa, & facta ab una parte debet esse acceptata ab altera; cum aliàs non sit de se nata parere obligationem; Pirh. *num. 15.* Laym. *cit. num. 5.* Castrop. *num. 10.* dicens, sic fateri omnes. Porro taciturnitatem esse sufficiens signum præbiti assensus & acceptationis, eò quòd quid favorabile promittatur, docent Hurt. *l. c.* Cöninck. *n. 58.* Rebell. *l. 3. q. 8.* Ponc. *l. 7. c. 45.* Contrarium probabilius tenent Sanch. *num. 25.* Gutt. *n. 28.* Castrop. *num. 10.* eò quòd esto, matrimonium secundum se ut quid favorabile offeratur, non sit tamen tale, prout de facto seu attentativè in hoc casu offertur; cum reddat acceptantem inhabilem ad illud contrahendum aliisque pœnis ecclesiasticis subjectum. Ad hæc etiam matrimonium extra hunc casum seu licitum, non sit promissio

merè gratuita, sed onerosa, utpote in sententia probabilior obligans ad reprimittendum; promissio autem onerosa non censetur acceptari ex sola taciturnitate, ut DD. in *reg. qui tacet, consentire videtur. de reg. jur. in 6.* non obstante etiam, quòd promissarius ignoraverit onus, quòd subit ex acceptance promissionis; cum ignorantia juris, qualis est hæc, non præsumatur, & taciturnitas sola præsumptione juris consensum inferat; adeoque hunc in præsentem inferre nequeat; ita ferè Castrop.

3. **R**esp. tertio: Debere hanc promissionem esse mutuam; eò quòd jura requirant per eam fidem dari de matrimonio contrahendo, quæ aliàs vera sponsalia constituit; qualis non est, nisi sit reciproca, tenent Bellarm. *l. 1. de matrim. c. 22. c. 2.* Henriq. *l. c. num. 3.* Ugol. *de Sacram. vr. de mat. c. 19. n. 8.* Pirh. *num. 15.* Sylv. *l. c.* in quam sententiam inclinat Laym. dicens non esse improbabilem; contrarium tenentibus cum communiore Soto in *4. d. 37. q. unic. a. 4.* Rebell. Ponc. Hurt. *LL. cit. Sanch. num. 20.* Castrop. *n. 12.* Sc. eò quòd *c. significasti. b. t.* maritus impeditur à matrimonio contrahendo; quia ejus contrahendi fidem dederat puella vivente sua uxore, absque eo, quòd dicatur puellam vicissim dedisse fidem, aut hanc fidem fuisse sponsalitiã; quare sine sufficiente fundamento Laym. asserit, hanc dationem fidei fuisse sponsalia. Item quòd alia jura plus non requirant ad hoc impedimentum, quam promissionem matrimonii absque eo, quòd mentionem sponsalium (quæ mutuam promissum includunt) faciant; promissio autem matrimonii vera esse potest absque eo, quòd sit mutua.

4. **R**esp. quartò: Sufficere ad hoc impedimentum inducendum promissionem conditionatam, seu fidem datam sub conditione (saltem ubi conditio non deficit ante commissum adulterium; si enim ante illud deficeret, deficeret etiam promissio conditionata, & sic solum superveniens adulterium non potest inducere dictum impedimentum) tenent Nav. *l. 4. consilio. conf. 2. de eo, qui duxit.* Rodriq. *c. 129. concl. 5.* Sanch. *l. c. num. 11.* eò quòd sit adhuc vera promissio obligans promittentem ad expectandum eventum conditionis, adeoque adhuc nasci ex ea possit spes futuri matrimonii, & consequenter detur ansa machinandi mortem conjugis. Contrarium, nimirum conditionem debere esse absolutam & puram, aut saltem vivente adhuc legitimo conjugate purificatam, tenent Hurtad. *num. 10.* Cöninck. *l. c. num. 59.* Castrop. *num. 13.* Pirh. *num. 15.* Laym. *num. 4.* qui etiam addit idem esse, si adulteri promittant sub hac verborum forma: Non ducam aliam nisi te: cum sensus horum verborum sit conditionalis. Ratio horum AA. est, quòd dum conditio est contingens, ita ut evenire possit, & non possit, concipi non potest spes, saltem certa futuri matrimonii. Ad hæc verba legis pœnalis sint strictè interpretanda, quantum patitur eorum proprietates, & restringenda, non extendenda, etsi sit similis ratio; promissio autem conditionalis, hoc est, suspensa & dependens; ab eventu dubio non habeat rationem promissionis veræ ac simpliciter dictæ; neque etiam in præsentem æquè sit apta generare spem matrimonii futuri, ac promissio absoluta.

Quest.

Quest. 187. incidens: Num de cetero promissio, quæ quis alteri promittit matrimonium post mortem conjugis sit irrita.

REsp. Non solum est graviter peccaminosa. Castrop. n. 14. juxta c. *fin. h. t.* sed & esse irritam ipso jure, etiam quando non præstat impedimentum matrimonii contrahendi. V. G. se junctim ab adulterio, probabilius tenent Abb. in *cit. c. fin. num. 2.* Alex. num. 4. Lancell. *Inst. jur. can. l. 2. tit. de divorc. §. cum ea autem.* Sanch. l. c. n. 40. Laym. *cit. c. ro. in fine.* Castrop. num. 15. Pirh. num. 13. eo quod reprobetur à jure, tanquam bonis moribus repugnans, quippe adhuc præbens occasionem captandæ mortis conjugis. Quem admodum ob eandem rationem irrita est promissio beneficii vacaturi, antequam vacet. c. 2. *de concess. præb.*

Quest. 188. An & qualiter impedimentum contrahatur ab infidelibus.

1. **R**Esp. primò: Certum est, id non contrahi ab iis in infidelitate permanentibus vi juris naturæ, sed neque vi legis ecclesiasticæ, utpote quæ infideles non obligantur, sed vi legum civilium, si fortè hæc apud illos tale impedimentum induxerunt. Sed neque, dum ambò infideles adulteri ad fidem conversi, illud contrahunt, dum etiam alterutrum eorum, nimirum vel adulterium commissum, vel data fides ante utriusque Baptismum, eò quod delictum commissum ante Baptismum non puniatur ab Ecclesia; adeoque perinde censi debeat, ac si non accidisset in ordine ad hoc impedimentum inducendum. Sanch. *cit. d. 79. n. 43.* Laym. *cit. c. ro. num. 6.* Castrop. num. 7. contra Veracruz p. 1. *specul. a. 34. post 4. du. concl.*

2. **R**esp. secundò: Quòd si tamen unus ex adulteris promittentibus inter se matrimonium fidelis seu baptizatus fuerit, is hoc impedimentum contrahit, ne dein mortuo conjugè possit cum Arg. c. 1. *de convers. in fid.* ubi dicitur, si Saracenus ope mulieris Christianæ maritum illius interfecerit, non posse dein ad fidem conversum mulierem illam habere uxorem; cum muliere impedita ob ecclesiasticam constitutionem contrahere cum tali viro, etiam per accidens & consequenter vir (qui aliàs ex parte sua etiam jam conversus ratione delicti ante Baptismum commissi huic impedimento obstrictus non erat) cum muliere illa contrahere matrimonium non possit. An verò etiam non possit validè contrahere manens infidelis, & è conversò dici possit: viro non impedito contrahere, mulier aliàs obnoxia illi impedimento etiam per accidens non impeditur contrahere: meritò dubitatur; & pendet resolutio hujus dubii ex eo, an dum duorum adulterorum talium unus est capax istius impedimenti, alter incapax, impediatur inter se contrahere matrimonium; ad quòd affirmativè videtur respondere Castrop. n. 6. *in fine.*

Quest. 189. An ad contrahendum impedimentum criminis requiratur una cum occisione conjugis promissio matrimonii vel adulterium.

1. **R**Esp. ad primum: Non requiri, ut interveniat promissio matrimonii vel etiam contractus

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

matrimonii de præsentè. Sanch. l. 7. d. 78. num. 2. Pirh. h. t. num. 19. juxta quòd deciditur. c. *super hoc h. t.*

2. **R**esp. ad secundum: Si uterque eorum, qui contrahere desiderant matrimonium post mortem uxoris, machinati sunt & conspirarunt in eadem uxoris, non requiritur adulterium. Nav. c. 22. q. 46. Bellarm. l. 1. *de mat. c. 22. vers. crimen homicidii.* Sanch. l. c. n. 9. Gutt. c. 105. n. 12. Ponc. l. 7. c. 45. n. 4. Laym. l. 5. *tr. 10. p. 4. c. 10. n. 2.* Castrop. d. 4. p. 12. n. 3. Pirh. h. t. n. 23. juxta c. *laudabilem. de convers. infid.* ubi Saracenis, qui ex mandato & consilio uxorum peremerunt earum maritos, interdicitur matrimonii cum illis uxoribus. Si verò tantum alter eorum machinatus est uxoricidium, seu reus est uxoricidii. V. G. maritus occidat uxorem suam, ignorante vel contradicente faminâ, cum qua intendit contrahere matrimonium, necessariò insuper requiritur adulterium. AA. iidem Arg. c. *si quis vivente.* 30. q. 1. c. 1. c. *super eo. c. significasti. h. t.* aliorumque textuum, in quibus semper adulterium conjungitur cum uxoricidio.

Quest. 190. An ad hoc impedimentum incurrendum requiratur præcisè uxoricidium.

REsp. Negativè; sed perinde est, an sit uxoricidium an viricidium. Gl. in c. *fin. h. t.* Sanch. n. 8. referens quamplures. Gutt. n. 10. Ponc. n. 5. Laym. l. c. Castrop. n. 6. &c. contra Ledesin. Cened. & alios, quorum sententiam probabilem censet Henricq. l. 12. c. 14. n. 2. constat ex c. *si quis vivente.* & c. 1. *de convers. infid.* qui textus loquuntur expressè de viricidio. Quòd verò alii textus non faciant mentionem nisi de uxoricidio, ideo est, quòd id frequentius quàm viricidium; non tamen inde sequitur, quòd ad viricidium tanquam minus frequens extendi non debeat hoc impedimentum; cum, dum eadem est ratio, & sunt correlativa (sicut in præsentè sunt maritus & uxor) quòd dispositum in uno, debeat censi & de altero correlativo. Procedereque responsionem, ait Castrop. tametsi occidens sit infidelis, modò adulter sit fidelis; cum Ecclesia, etsi infideles punire nequeat, possit tamen punire fideles, inhabilitando ad matrimonium, si delicto infidelis cooperati sunt.

Quest. 191. An requiratur, ut occiso fiat physicè ab adultero, seu intendente contrahere matrimonium.

REsp. Negativè, sed sufficit fieri moraliter per jussionem, mandatum, vel etiam consilium influentia efficaciter in occisionem, tametsi adulterorum neuter eam patratit physicè. Laym. l. c. n. 1. Castrop. n. 4. Corrad. in *pr. dispensat. apost. l. 8. c. 19. n. 17.* Arg. c. *si quis vivente.* & c. 1. *de convers. infid.* Non tamen juxta sententiam probabiliorè, quam sequuntur Gl. in *cit. c. si quis vivente. v. occidisse.* Abb. in c. 1. h. t. num. ult. Sanch. num. 6. Gutt. num. 8. Laym. num. 1. sufficit occisionem patratam fatam haberi; cum rati habitio non sit causa occisionis, sed eam supponat; & reg. *rati habitioem. de reg. jur. in 6.* rati habitioem æquiparans mandato solum locum habeat, ut Castrop. in iis, quæ pendunt à voluntate ratam habentis, vel quæ jure disponente pro mandato reputantur, quòd in præsentè non fit.

Quaest. 192. An requiratur, ut machinatio mortis sit efficax, morsque actu secuta.

Resp. Affirmativè; Adeoque non sufficit occisionem attentatam, mandatum & consilium ad eam datum, si ea non evenierit; Sanch. n. 7. Laym. cit. n. 1. Pirh. n. 24. Castrop. cit. n. 4. cum Gl. in cit. c. si quis vivente. v. occidisse. unde licet quidam textus faciant mentionem solius machinationis, ita tamen intelligendi sunt; cum leges pœnales de crimine perfecto & consummato debeant intelligi, nisi aliud constet, & verba cum effectu accipienda sint. c. relatum. de cler. non resid. Pirh. Laym. ll. cit.

Quaest. 193. An & qualiter requiratur, ut occiso fiat intentione contrahendi matrimonium cum conjuge superstite.

1. Resp. ad primum: Affirmativè; leges siquidem statuentes hoc impedimentum intendunt impedire, ne quis propriam vel alienam conjugem occidat ex desiderio alterius matrimonii contrahendi; unde dum is non est finis hujus decisionis, sed alius. V. G. ut quis liberius vacet libidini; ut liberet se à vexa, quam patitur à conjuge &c. hoc impedimentum locum non habet. D. Thom. in 4. d. 37. q. 2. a. 2. Sanch. cit. d. 78. n. 13. Gutt. n. 16. Castrop. n. 5. Laym. n. 2. Pirh. n. 25. Ponc. l. 7. c. 45. n. 5. quamvis tamen in foro externo, dum occisor vult ducere conjugem superstitem, præsumatur commisisse eadem ex intentione contrahendi matrimonii, & quidem cum hæc determinata, Sanch. n. 19. Gutt. n. 23. Castrop. n. 5. Pirh. num. 25.

2. Resp. secundò: Intentio hæc contrahendi matrimonii debet ferri in personam determinatam, ita ut non contrahatur hoc impedimentum, si quis conjugem occidat desiderio contrahendi aliud matrimonium, absque tamen determinatione personæ. Castrop. Laym. ll. cit. Sanch. n. 18. Gutt. num. 22. Contrahi tamen illud censent Sanch. & Gutt. si fiat occisio animo ducendi unam ex filiabus Petri; quod tamen ait Castrop. non carere difficultate; quia adhuc sunt intentæ indeterminatæ, cum qua indeterminatione matrimonium subsistere nequit.

3. Resp. tertio: Requiritur videtur intentio contrahendi matrimonium determinatè, cum relicta conjuge occisi; ita indicat Castrop. n. 5. ad initium. item, ut hæc sit conscia & particeps cædis, ita ut, si occidas maritum Cajæ insciâ Cajæ, animo tamen ducendi eam, non impediaris eam ducere. Laym. n. 2. in fine.

4. Resp. quartò: Intentionem hanc extrinsecus manifestatam esse requirunt Ponc. n. 4. Gasp. Hurt. d. 23. diff. 1. n. 3. eò quòd aliàs Ecclesia, quæ de internis non judicat, non possit punire dicta inhabilitate. Contrarium rectius sentiunt Sanch. n. 19. Gutt. n. 23. Castrop. n. 5. in fine. eò quòd factum dum hac vel illa ratione punitur ab ipsa lege, & non per sententiam, non sit opus constare de intentione, ut patet in pluribus exemplis. V. G. dum Clem. 1. de heret. excommunicantur Inquisitores ex odio vel amore facientes reis injustitiam. Quamvis ut dictum, ista intentio semper in foro externo præsumatur adfuisse.

Quaest. 194. An impedimentum hoc incurrat ab ignorantibus illud tali crimini annexum, adeoque laborantibus ignorantia juris.

1. Resp. Non convenire in hoc AA. affirmativa, pro qua Krimmer in 4. decret. n. 1011. citat Matth. de Moya in select. 99. Theol. mor. tr. 4. de Sacram. q. 14. §. 3. n. 15. & Castropalaum. Tom. 4. d. 4. de sponsal. p. 12. n. 11. (ubi tamen is de hac ignorantia juris nihil, sed solum de ignorantia facti, quæ delinquentium unus ignorat complicem esse conjugatum) quibus quoque adhæret Wiestn. de impedimentis conjugior. p. 2. a. 15. n. 20. hæc, inquam, sententia affirmativa hæc habet fundamenta. Primum sumitur à paritate, nimirum quòd inhabilitas dirimens matrimonium incurrat ab ignorante affinitatem, cognationem carnalem vel spiritualem, Secundum ex absurdo, quòd hinc sequi videtur, nimirum quòd, si non contrahatur dicta inhabilitas ab ignorante istam annexam delicto, etiam non incurrat ab eo, qui inculpabiliter tempore, quo committitur delictum, non recordatur illius; siquidem in ordine ad excusandum à pœna (qualis juxta adversarios est dicta inhabilitas) inadvertentia, oblivio & ignorantia omnino æquiparantur. Suar. Tom. 5. in 3. p. d. 4. f. 8. n. 11. Sanch. in sum. l. 4. c. 22. n. 18. Tertium, quòd hoc impedimentum non sit principaliter pœna; cum principaliter inductum sit ad avertendum machinationem cædis spe matrimonii cum superstite contrahendi; quòd autem pœna non incurrat ab ignorante illam annexam delicto, procedat solum in casu, quo est pœna principaliter, ne aliàs quoque dicendum, inhabilitatem non incurri ex affinitate ex delicto ab ignorante illam huic delicto annexam. Ac denique, quòd consuetudo Ecclesiæ, praxis & stylus curiæ, prout testatur Corrad. in pr. disp. Apostol. l. 8. c. 9. §. 17. non permittat contrahere reos hujus criminis, etsi alter contrahentium id impedimentum ignoravit; & certè rariùs hoc impedimentum contraheretur, si non contraheretur, nisi à scientibus illud annexum huic crimini, cum pauci id sciunt.

2. E contra non incurri hoc impedimentum ab ignorantibus, illud tenent Palud. in 4. d. 34. q. 1. n. 17. ubi etiam, quòd requiratur scientia hujus impedimenti ex parte atriisque delinquentis, Ferdinandez. in medul. cas. p. 3. c. 16. sect. 5. Baucius in miscell. cas. Tom. 2. opus. 1. q. 176. Sententiæ hujus fundamentum primum est, quòd pœnæ per leges ecclesiasticas impositæ non incurrantur ab ignorantibus eas annexas delicto (quidquid sit de eo, quòd in foro externo juris clari scientia potius quàm ignorantia præsumatur) ut patere ajunt in ignorante censuram annexam suo delicto, qui nec illam, nec peccati reservationem incurrit, ut docent Sanch. in sum. l. 2. c. 8. n. 5. Castrop. Tom. 4. tr. 23. p. 15. §. 2. & alii apud Moya. n. 16. & specialiter, quòd reservatio non incurrat ab ignorante illam, quando inducitur in pœnam delicti, docent plures apud Moya. n. 11. & in specie Sanch. l. 9. de mat. d. 23. n. 18. quòdque simpliciter nulla incurrat reservatio ab ignorante illam, docent plures cum Dian. p. 6. tr. 6. resol. 62. Thom. Hurt. Tom. 2. var. resol. tr. 12. c. 1. n. 1123. dicta autem inhabilitas non minus quàm censuræ, privatio juris petendi debitum conjugale, habeat rationem pœnæ; & lex statuens hoc impedimentum sit lex pœnalis (qualis est, quæ imponit pœnam ob culpam delicti; Pereyr. in lucidar. n. 195.) ut citatus à Krimmer. n. 1016. tradit Castrop. p. 1. tr. 3. d. 2. p. 7. n. 4. ubi: lex pœnalis est, quoties in pœnam delicti imponitur, uti contingit in irritatione matrimonii ob uxoricidii vel adulterii crimen cum promissione

missione matrimonii; item *ibidem* dicens; ex toto hoc tit. constare, impositum hoc impedimentum in pœnam delicti commissi, sicut est nullitas electionis ob Simoniam; idem ferè ait Sanch. l. 7. de mat. d. 5. n. 7. ubi, quòd à lege ecclesiastica impositum in pœnam delicti & ad præcavendum &c. ad eoque simul esse medicinale præservationem ad præcavendum nimirum adulterium & uxoricidium, qualiter l. 9. d. 32. n. 13. negat excommunicationem esse pœnam simul & medicinam. Sed neque opponi potest disparitas inter censuras & hoc impedimentum, quòd censura requirant contumaciam; adeoque mirum non sit, quòd non incurrantur ab ignorantibus illas annexas delicto; nam etsi incurfuro illas requirant contumaciam, ea tamen non supponit essentialiter monitionem aut comminationem pœnæ ab homine factam; siquidem fallit in censuris latæ sententiæ generaliter à jure, quibus incurrendis sufficit monitio & comminatio legis ipso facto imponentis delinquenti censuram. Sed & hæc monitio & comminatio legis præcedit etiam delictum; cui annexum impedimentum criminis; adeoque & hic est contumacia.

3. Respondent quoque satis plausibiliter hujus secundæ sententiæ AA. ad opposita fundamenta. Ad primum negando paritatem, dicunt, inhabilitatem natam ex cognatione vel affinitate non esse pœnalem; adeoque mirum non esse, quòd incurratur ab ignorante. Imò nec affinitatem, quæ est ex copula illicita, adeoque ex delicto, non reddere inhabilem pœnaliter; cum eodem modo inhabilitaret, etsi copula non conjugalis esset licita; similiter inhabilitatem ad contrahendum clandestinè inductam à Trid. non esse pœnalem; cum antece-

denter & ante omnem actum illicitum commissum ab his, qui volunt contrahere inducatur; inhabilitas autem ex crimine non afficit criminosos antecedenter ad omne illorum crimen, sed supponit delictum ab iis commissum, & quidem perfectum & consummatum. Ad secundum admittunt, quòd peccans pœnâ non cognitâ, dum fit delictum contra legem pœnalem non incurtere pœnam; quia non peccat contra legem pœnalem quâ talem. Ad tertium dicunt, quòd, si deficeret à ratione pœnæ primariò & principaliter talis ideo; quia lex inducens hoc impedimentum, id facit ad cavendum & absterrendum à machinatione mortis conjugis, omnes pœnæ, quæ infliguntur ad vindictam publicam, nimirum ad infligendum aliis terrorem, & ad præcavenda deinceps talia delicta, deficerent à ratione pœnæ primariò & principaliter intentæ; ad hæc, esto, non esset pœna principaliter spectato sine legislatoris, esse adhuc talem spectato sine legis; qui fines sæpe sunt valde diversi, ut patet in fine artis & fine artificis, præcepti & præcipientis; dum autem est pœna principaliter ex fine legis, procedere dictam regulam; pœna non incurritur ab ignorante illam. Ad postremum dicunt, non magis per hanc opinionem creari præjudicium sacris tribunalibus Romanis, quàm per opiniones negantes hic & nunc opus esse dispensatione, creatur præjudicium Pœnitentiariæ & Datariæ.

Aque ex his vides, tametsi sententiæ affirmans incurri hoc impedimentum ab ignorante sit communior, ut testatur Laym. l. 1. sum. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 8. etiam fortè, ut Krimer. n. 1024. cum aliquo excessu autoritatis majoris; eâ tamen non obstantè, manere sententiæ neganti suam probabilitatem; cum opposita non excedat probabilitatem.

TITULUS VIII.

De conjugio leproforum.

Quest. 195. An & quale impedimentum præstat lepra matrimonio contrahendo.

1. **R**esp. primò: Neque impedimentum dirimens, neque impediens matrimonio contrahendo præstat lepra, sive uterque futurorum conjugum, sive alter eorum solus sit leprosus; nullo enim jure ab in eundo matrimonio arcentur, sed liberè id contrahere possunt, si ipsi velint, prout habet expressus textus. c. 2. h. t.

2. Resp. secundò: Ob supervenientem lepram sufficiens datur causa dissolvendi sponsalia de futuro juxta textum quoque expressum c. fin. h. t. & dicta à nobis in antecedentibus; q. 69. n. 2. uti idem cum communi dictum de aliis morbis contagiosis & infirmitatibus incurabilibus. Si tamen sanus velit ea dissolvi; non enim ipso jure hæc dissolutio inducta; ita ut, si sponsus superveniente sponsæ de futuro leprâ aliâve infirmitate, velit nihilominus inhaerere contractui sponsalicio, sponsa non possit resiliere. Pirh. h. t. n. 1. cum communi; cum hæc sponsalium dissolutio inducta & permissa, non in favorem infectæ, sed in favorem solius sani, in cujus odium retorquenda non est, juxta reg. 61, in 6.

Quest. 196. An & qualiter lepra similisve morbus obstat indissolubilitati matrimonii contracti.

1. **R**esp. primò: Indubitatum est, matrimonium consummatum copulâ carnali ob supervenientem lepram nulla potestate humana solvi posse, utpote jure divino indissolubile quò ad vinculum. Matth. 19. vers. 7. patetque ex c. 1. §. quoniam. h. t.

2. Resp. secundò: Sed neque matrimonium ratum tantum ex ea causa supervenientis lepræ, quò ad vinculum conjugale dirimitur ipso jure; cum ea vis dirimendi illud soli professioni religiosæ concessa reperiat; c. 2. §. 7. de convers. conjugat. & ita teneat AA. Sed neque his obstat textus. c. fin. h. t. ubi dicitur, quòd superveniente lepra in uno conjugum, alter ad eam accipiendam cogi non debeat, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum; cum ibi per *To consummatum*. non intelligatur consummatio, quæ fit per copulam carnalem, sed ea, quæ per consensum de præfenti præstitum perficitur & consummatum matrimonium quò ad essentiam; pro ut ad c. c. Host. in fine. Abb. n. 3. caterique interpretes; proinde, dum dicitur, superveniente leprâ sponsæ, sponsum ad eam ducendam non cogendum, patet textum illum